

VVILHELMVS EPISCOPVS EYSTETENSIS.



VVilhelmus ex nobili familia de Richenau natus fuit. Eum ob ingenij foelicitatem parētes præceptoribus tradiderunt, ut eum literis & artibus liberalibus imbuerent. Itaq; is in uirum (ut tēpora ea ferebant) doctissimum euasit. Vnde cum Eystetensis sedes uacaret, ipse anno 1464 eius loci Episcopus electus fuit. Erat is magna prudentia et singulari facundia præditus, ita ut de eo diceretur: Attibi Solonis mens præsul, & os Salomonis. Vnde Fridericus 3 Imperator eū summoperē dilexit, atcq; hinc inde in rebus grauissimis Imperij legatū elegit. Is enim mira dexteritate res optimē perficiebat. Vnde etiā postea Maximilianus magno eum loco habuit. Interea Vuilhelmus æs alienum à suis antecessoribus contractū egregiè soluit, atcq; arces & templa suæ ditionis restaurando eum Episcopatum restituit, & mirum in modum locupletauit. Cum hoc modo inter Germa-